

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Elemosina ak  
cum uariis

Elemosina amica Dei consistit et semper ei propinqua est. Pro quibuscumque uoluerit, facile munus gratie impetrat. Vincula peccatorum ipsa dissoluit, fugat tenebras, extinguit ignem. Huic cum multa fiducia porte celi aperiuntur, et ueluti regina intrante nullus ianitorum, nullus custodum qui assistunt audet dicere: Que tu es uel unde? Sed omnes eam e regione suscipiunt. Virgo est habens alas aureas, circumspecta per omnia uenustateque succincta, uultum habens candidum atque mansuetum. Pennata est et leuis et semper ante solium regale consistit.

Crisostomus super Mattheum sermone IX.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

Elemosina ak] Elemosina al P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; custodum] ianitorum (*cor. sub lin.*) C;  
assistunt] assistant C; audet] audent P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; circumspecta] circumscripta P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; uenustateque] uenustate sed P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; super Mattheum] Mattheo B